



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Posteriores Libros Septem De Habituali Gratia, Sanctificatione
Hominis, Ac Merito

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1621

Cap. XXXVII. Quid possit homo non iustificatus sibi de congruo mereri?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94104)

hanc causam negat Catholica doctrina, posse hominem suis viribus mereri de congruo primum gratiæ auxilium, quia tunc non daretur gratis simpliciter, ac subinde non esset gratia: ergo quod redditur propter meritum de congruo, non redditur mere liberallyter, ac proinde alia ratio virtutis à liberalitate distincta in illa redditione consideranda est. Idemque est in misericordia euidentius, quia solum respicit indigentiam alterius, eiusque miserie subleuationem. Vnde licet eadem actio remuneratiua meriti de congruo possit simul fieri ex misericordia, nihilominus quatenus remuneratio est, ad misericordiam non pertinet. Sicut quod oranti conceditur propter vim promissionis sub ea ratione non datur ex misericordia, sed ex fidelitate, quamuis simul possit ex misericordia tribui: ita ergo in presenti intelligendum est.

11. *Vera responsio.* Quapropter dicendum cenſeo, hoc pertinere ad quandam Dei iustitiam, quam D. Anselm. in Proleg. ca. 11. & sequentibus, & D. Thom. 1. p. q. 21. decetiam diuinæ providentiæ appellat, & nos alibi tractantes de diuina iustitia in peculiari disputa. sect. 4. iustitiam generalem, aut quasi legalem, seu iustitiam providentiæ, aut providentialem vocauimus, eamque varijs modis, & exemplis explicauimus. Ibi tamen hoc exemplum de retributione meriti de congruo omisimus, re tamen vera hic actus remunerandi meritum de congruo, seu beneficiendi intuitu illius, & cum proportionem ad illud est huius iustitiæ maxime proprius. Quia non attingit propriam rationem, & obligationem particularis iustitiæ diuinæ, quam in retribuendis meritis de condigno obseruat, vt supra vidimus, & alioqui seruat modum iustitiæ, quatenus respicit aliquale debitum in operibus fundatum, & æquitatem quandam respectu illius obseruat. Neque in hoc puncto noua difficultas occurrit.

C A P V T XXXVII.

Quid possit homo non iustificatus sibi de congruo mereri?

1. *Titulus elucidatur.* Explicato merito de congruo, & omnibus conditionibus eius, dicendum superest de rebus, seu præmijs, quæ sub hoc meritum cadere possunt. Diximus autem hoc meritum esse in peccatore, & in homine iusto, & inter eos discrimine constitutum, quod peccator sibi tantum, iustus vero & sibi, & alijs potest aliquid de congruo mereri, & ideo dicemus prius de peccatore, respectu sui tantum, & postea de iusto respectu sui, & aliorum. Agimus autem hic de merito supernaturalis ordinis, per quod aliquid pertinet ad dona gratiæ meremur, & ideo solum de præmijs aliquo modo supernaturalibus tractamus, quamquam obiter de naturalibus aliquid in fine attingemus.

2. *Affertio 1.* Hinc ergo dicimus primo, vel potius vt iam probatum supponimus, non posse peccatorem mereri primam auxiliantem gratiam de congruo. Hoc probatum est in lib. 3. contra Semipelagianos, vbi testimonia, quibus hoc fit de fide certum retulimus. Ratio vero est, quia opus mere naturale neque est dispositio proportionata ad supernaturale auxilium, neque ex se habet relationem ad dona supernaturalis ordinis, in qua possit talis congruitas fundari. Vnde cum neque ex conditione personæ operantis possit aliqua congruitas oriri, cum supponatur in peccato, & ante omnem gratiam, manifestum est, in tali actu non posse esse meritum de congruo primi auxiliij gratiæ.

3. *Affertio 2.* Dico secundo, peccatorem diuina gratia adiutum posse de congruo mereri suis actibus primam gratiam sanctificantem, ipsamque remissionem peccati mortalis. Hæc est communis sententia Theologorum cum Magistro in 2. d. 27. vbi D. Tho. q. vnic. art. 4. ad 4. & Albert. in 1. distict. 41. art. 2. ad 2. & vlt. satis ob-

ſcure. Clarius ibi Bonauent. art. 1. q. 1. & in 4. distict. 15. 1. par. art. 1. quæst. 5. vbi etiam D. Thomas idem plane docet q. 1. art. 3. quæst. iunc. 4. Neque in 1. 2. q. 11. 4. art. 5. oppositum docuit, nam vt supra dixi, probabilissimum est, loqui de prima gratia auxiliante, præsertim in corpore articuli. Præterquam quod de merito generatim loquitur. Vnde licet dicamus, loqui de prima gratia in comuni, vt abſtrahit à sanctificante, & auxiliante (nam reuera vtramque attingit) negatio meriti cum partitione accommodata erit accipienda, scilicet, vt de prima gratia auxiliante neget meritum, etiam de congruo, de sanctificante vero tantum de condigno. Nam licet ipse expresse hoc non determinet, iuxta materiæ capacitatem determinandum est. Vel certe si vtriusque gratiæ primæ omne meritum excludit, de merito non fundato in priori gratia intelligendus est, nam de hoc loquitur in corpore articuli. In alijs vero locis allegatis loquitur de merito de congruo fundato in priori auxilio gratiæ. Et ita partem hanc, tanquam D. Thomæ doctrinam defendit Ferrar. 3. contra gent. capit. 149. dub. vlt. Eandem tenet Marfil. in 2. quæst. 18. art. 3. concl. 4. & Scotus in 4. d. 14. q. 2. & ibi Gab. q. 1. art. 2. circa finem, & in 2. d. 27. q. vnic. art. 2. concl. 4. & in art. 3. dub. 4. Scotus autem, & Gabriel excedunt, ponentes hoc meritum in dispositione facta solis viribus liberi arbitrii. Qui error sæpe in superioribus reprobatus, in presenti vero materialiter se habet, nam formaliter in hoc conueniunt, quod dispositio, qualiscunque sit, & quibusvis viribus fiat, iustificationem de congruo meretur. Et ex modernis tenet hæc sententiam Rosensis art. 1. contra Lutherum, §. *Primum illa*, versus finem, & Tileran. apolog. pro Concil. Trident. circa caput 8. sessionis 6. Iam id defendit Vega lib. 3. in Trident. cap. 8. & sequentibus, & quæst. 7. de iustificat. & Bellarminus lib. 1. de iustificat. cap. 21. & lib. 2. de Pœnit. c. 12. & Vazq. 1. 2. disput. 218. per totam, licet peculiari modo infra tractando. Melius, licet breuius, tenet idem Molin. in concord. disput. 46. ad 1.

3. Probationes huius sententiæ afferemus, declarando illam, nunc breuiter probatur ratione, quia nihil est, quod huic merito de congruo obſtet respectu talis beneficii, quia si quid obſtaret, maxime status peccati in persona operante: sed hoc non obſtat: ergo nihil est, quod obſtet. Minor probata est supra cap. 34. in generali, & in hoc speciali merito iustificationis non interuenit aliqua singularis ratio, propter quam expediendum sit. Quod pater, probando maiorem, & consequentiam argumenti, quia hoc meritum fundatur in priori gratia auxiliante, vt supponimus, & ex hac parte recedit omnino à Semipelagiano errore, iuxta doctrinam Augustini sæpe repetitam, & in superioribus tractatam, & supponit præcipuam conditionem requisitam ex parte actus meritorij, ratione cuius habet sufficientem proportionem cum vltiori gratia vsque ad remissionem peccati. Et ex parte liberi arbitrii homo etiam facit, quod in se est, per vires auxiliantis gratiæ: ergo inde confurgit illa congruitas fundata in æqualitate proportionis, quam in nostris meritis considerauit D. Thomas dicta qu. 11. 4. art. 3. dicens: *Videtur congruum, vt homini operanti secundum suam virtutem Deus recompenset secundum excellentiam sue virtutis* Que congruitas non parum augeatur, addita promissione, quæ in iustificatione etiam interuenit, vt in superioribus visum est.

4. *Obiecta.* Contra hanc assertionem obijcitur primo illud Pauli ad Rom. 3. *Iustificati gratis*, & cap. 4. *Non ex operibus* quatuor. Secundo Concilium Tridentin. idem affirmans 1. ex Rom. sess. 6. cap. 8. Tercio quia gratia est principium, & fundamentum totius meriti tam de condigno, quam de de congruo, vt sentit D. Thomas 1. 2. q. 112. artic. 2. ad 1. & Trident. q. 11. 4. artic. 2. & 3. & in multis alijs similibus locis: ergo sub neutrum meritum cadere potest, quia principium meriti non cadit sub idem meritum, seruata proportionem. Quarto quia peccator est incapax totius meriti.

Bbb ti, quia

ti, quia est indignus omni debito apud Deum. Propter quæ argumenta non pauci Theologi contrariam sententiam tenuerunt, ut Capreol. in 2. dist. 40. q. 1. & in 4. d. 14. ad argum. Henrici contra 2. concl. Soto lib. 2. de Natur. & grat. cap. 4. & in 4. d. 15. q. 2. art. 4. in fine, Hostius in Confess. ca. 73. in hanc partem multum inclinat, & Stapletonius lib. 10. de Iustific. c. 2. & Medin. dicta q. 114. art. 6. alijque moderni Thomistæ frequentius hanc partem sequuntur.

5. Nihilominus dicta fundamenta parum suadent quia verbum, *Gratis iustificamur*, apud Paulum referri potest ad totam iustificationis mutationem à prima vocatione usque ad remissionem peccatorum, ut saepe ab August. contra Semipelag. disputante intelligi videtur: vel potest referri ad solum terminum iustificationis, qui est remissio peccatorum per infusionem gratiæ sanctificantem. Priori modo opponitur omni merito tam de congruo, quam de condigno. In hoc tamen sensu non recte in presenti citatur, quia non agimus de merito congruo totius iustificationis in illo sensu acceptæ, sed de solo termino illius iustificationis, seu de infusione gratiæ iustificantis. Si vero verbū *gratias*, ad hanc iustificationem tantum referatur, sic principaliter excludit meritum de condigno, ut exposuit Conc. Trid. dicto c. 8. & supra declaratum est. Et consequenter etiam excludit meritum de congruo, quod in aliqua priori gratia fundatum non sit, quia illud omni gratiæ repugnat. Non vero excludit meritum de congruo fundatum in priori gratia, quia hoc non repugnat omni gratiæ, sed facit, ut sit gratia pro gratia, ut Aug. in locis citandis docuit. Et ita responsum etiam est ad Conc. Trid. Et ad tertiam etiam obiectionem: nam licet de ratione omnis meriti sit, ut procedat à gratia, non tamen semper est necessaria gratia sanctificans, sed sufficere potest auxilians, quando meritum est tantum de congruo. Nec D. Thomas oppositum docuit, quia vel loquitur de merito de condigno, vel quando abstracte loquitur, cum partitione accommodata intelligendus est, ut iam insinuaui. Vltima vero obiection in cap. 34. soluta est: nam peccator incapax est apud Deum, ut sit illi debitor ex iustitia, non tamen ex congruentia, & decentia, quæ non personæ conditionem, sed actionis sanctitatem, & proportionem, ut in ea fundetur, respiciat.

6. Ut autem sententia hæc magis declaretur, & confirmetur, oportet exponere, per quos actus possit homo de congruo mereri iustificationem in dicto sensu, seu remissionem peccatorum, in quo supponimus, debere actum esse bonum, liberum, & supernaturalem, sed inter actus huiusmodi quidam sunt, qui tempore præcedunt instanti iustificationis, & esse possunt in peccatore manente in peccato, qui omnes dicuntur remotæ dispositiones ad iusticiam, & remissionem peccati. Alij vero sunt, qui simul in eodem instanti habet coniunctam infusionem gratiæ sanctificantis, & remissionem peccati, qui actus includuntur in vltima dispositione ad gratiam. Est ergo primus dicendi modus tribuens hoc meritum prioribus actibus remote disponentibus ad iusticiam, & negans illud vltimæ dispositioni. Ita tenet Vazq. nam priorem partem docet in dicta disp. 218. posteriorem vero addit disp. 219. c. 1. Quod si obijcias, quia vltima dispositio est melior, & magis proportionata primæ gratiæ sanctificantis, respondebit, ad meritum non satis esse bonitatem, vel proportionem operis, sed requiri etiam antecessorem, unde si hæc deficiat, licet opus sit melius, & magis proportionatum, non erit meritum. Quia ergo putat contritionem, aut primam dilectionem Dei super omnia nullo modo antecedere gratiam sanctificantem per modum dispositionis præparantis ad illam: consequenter dicit, non esse meritum de congruo eiusdem gratiæ: hoc autem impedimentum cessat in dispositionib. remotis, ut per se patet: & ideo licet inferiores sint in proportionem, & bonitate: alicuius meriti sunt capaces.

Modus 1. dicendi.

Obiectioni contra hunc modum occurratur.

Alter modus dicendi, extreme contrarius esse potest, per remotas dispositiones nullo modo mereri hominem primam gratiam, per vltimam autem dispositionem illam mereri de congruo. Ratio prioris partis est, quia ut actus sit meritorius de congruo alicuius beneficii necesse est, ut vel infallibiliter illud obtineat, vel saltem quod sit sufficiens, ut intuitu illius sine nouo actu, vel merito conferatur, nam si aliud adminiculu semper necessarium est, perfectio talis actus non est sufficiens meritum. Sed omnis dispositio remota ad gratiam talis est, ut non solum non habeat gratiam infallibiliter coniunctam, verum etiam neque habere possit, secluso privilegio Sacramenti sine meliori dispositione: ergo nulla talis dispositio per se sumpta est meritoria de congruo primæ gratiæ. Unde & contrario probatur altera pars, quia vltima dispositio est maxime proportionata, & non solum sufficiens, sed etiam infallibiliter habens coniunctam sanctificationem per gratiam. Neque illi deest antecessio, tum quia iuxta doctrinam communiter receptam, & Concilio Trident. satis clare approbatam, negari non potest, quin contritio sit vera dispositio præparans, & in eo genere vera causa iustificationis, ac proinde antecedens illam ordine nature sub aliqua ratione, quæ antecessio ad meritum etiam sufficit, ut in merito augmenti gratiæ manifestum est: tum etiam quia longe probabilius est contritionem prius naturæ, quam gratia infundatur, procedere ab aliquo auxilio diuino excitante, & adiuvante sufficienter liberum arbitrium, antequam habitus charitatis, vel gratiæ, aut penitentia aliquid efficiat, & hæc antecessio ex parte efficientis etiam est sufficientissima ad meritum de congruo gratiæ habitualis, quæ posterius natura infunditur, siue eadem gratia iterum contritionem efficiat, siue non. Hoc enim nihil ad præsens refert, quamvis id affirmare sit vel impossibile, vel impertinens, ut in lib. 8. late dictum, & supra tractando de merito de condigno tactum est.

8. Tercius modus dicendi vtriusque dispositionis remotæ, & proximæ hoc meritum tribuit, si tamen recte explicetur, parum differt à præcedenti, & vtrique modus recte explicatus verum potest habere sensum. Pro cuius declaratione aduerto, duobus modis posse actum aliquem esse meritorium de congruo primæ gratiæ, scilicet mediate, vel immediate. Mediate voco, quod inter actum meritorium, & infusionem gratiæ necessario intercedere debet aliquis alius actus, quo ad infusionem gratiæ propinquius accedatur. Nam tunc fieri non potest, ut prior actus iustificationem ipsam immediate mereatur, id est, ut immediate ratione illius tanquam meriti de congruo tribuatur, ut v.g. cum peccator orat sibi remitti peccatum mortale, non potest mereri de congruo, ut propter orationem solam sine alia dispositione peccatum remittatur, sed ad summum mereri de congruo poterit, & impetrare aliquod auxilium, quo se disposat ad remissionem peccatorum obtinendam. Unde immediate mereri de congruo gratiam est illam mereri ut dandam immediate ratione talis actus, & proportionis eius ad talem formam, ut sine alio actu medio propter illum detur. Quod non aliter probamus, nisi quia illi duo modi possibili sunt, & per illa verba satis proprie significantur, nihilque aliud nos per illa significare intendimus.

9. Dicendum ergo in primis est, actum, qui est vltima dispositio ad gratiam, illius infusionem immediate mereri aliquo modo, ac proinde de congruo, cum sit in ordine. Hæc praestitum sit, non mereri illam de condigno. Hæc assertio nem præcipue intendit antiq. Scholastici in i. opinione, seu per nostram principali assertionem allegati, præsertim D. Tho. Ferrar. Scotus, Gabr. & Maril. qui exemplum adhibet in conversione filij prodigi. De quo ita et loquitur Ambr. lib. 2. de Pœnit. c. 3. Penitentiam agendo, meruit solum, anulum, calceamentum, & infra. Surgam, inquit, & ibo ad Patrem meum, & dicam illi: Pater peccavi.

peccasti in celum & coram te. Nonne adueritis id euidenter
tam nobis exposuit, quod merendi gratia sacramenti ad pre-
candum impellimur. Et infra: Tam cito veniam meretur, vt
venienti, & adhuc longeposito occurrat pater, & osculum tri-
buat, quod insigne est sacra pacis, stola proferri iubeat, qua ve-
stus est nuptialis, &c. Haec autem velis gratia est, quam
iuxta sententiam Ambrosij, peccator per perfectam
conuersionem aliquo modo immediate meretur.
Vnde in alio lib. de Penitentia Ambrosio in 5. to. at-
tributo cap. 10. de eodem filio prodigo sic dicitur: Ple-
num patris in se prouocauit affectum, qui perfectum habuit in
penitendo consilium. Vbi non poterat melius meritum
de congruo explicare, quam verbo illo prouocandi
affectu, & postea maiori cum exaggeratione dicitur:
Vides conuerso filio statim stolam pristinam merimonio res-
titutam, vbi particula statim, satis declarat immediatio-
nem inter meritum, & stolam gratie, & verbum, mer-
imonio, adeo declarat proprietatem meriti, vt mode-
ratione indigeat, & lib. 10. in Luc. in fin. c. 22. agens de
negatione Petri. Fleuit inquit amarissime Petrus, vt la-
crymis posset suum laudare delictum, & sic veniam vis mereri,
dilectus culpam lacrymis tuam, eodem tempore, eodem momento
respicit te Christus. Vbi euidenter de vltima dispositio-
ne loquitur. Simili modo Tertul. libr. 4. contra Mar-
cion. c. 18. agens de penitentia Magdalene loquitur,
dicens: Peccatrix penitentia secundum Creatorem meruit
veniam proponere solum sacrificio, sed est penitentia stimu-
lus ex fide acciderat per penitentiam ex fide iustificatam ab eo
auduit: Fides tua te saluam fecit, qui per Abacuc pronuntia-
rat: Iustus ex fide sua viuet. Vbi etiam Pamelius notat
sententiam veram catholicam pulchre Tertul. expli-
casse, dum & penitentiam dicit veniam meruisse, &
illud fides tua te saluam fecit, de penitentia ex fide iusti-
ficata interpretatur. Et idem fere repetit Tertul. in-
fra c. 20. & simili modo in cap. 10. dixerat Achab Re-
gem maritum Iezabel reum idololatrie, & reum san-
guinis Nabuthae veniam meruisse penitentia nomi-
ne. Alludens ad verbum Domini, 3. Reg. 21. quod tra-
ctans Hierony. m. epist. 30. quae est epitaphium Fabio-
la dixit. O felix penitentia, quae ad se Dei traxit oculos,
quae furentem sententiam Dei, confisso errore, mutauit. Qui-
bus verbis aptissime causalitatem huius meriti signi-
ficauit, & ita lib. 2. contra Pelagia. dixit, confessionem
peccati humilitate clementiam Saluatoris mereri.
Praeterea Origen. homil. 3. in Leuitic. eodem mo-
do loquitur de penitentia David, & verba illa Psal.
31. Dixi confitebor aduersum me iniquitatem meam Domino,
& tu remisisti iniquitatem peccati mei, exponit dicens: Vi-
de ergo quia promittitur peccatum, remissionem peccati mere-
tur, & homilia 11. cum generaliter dixisset peccatum
purgari per penitentiam, subdit: Quam vitum quis di-
gne generat, ita vt mereri per eam veniam possit. Videro. Item
Cyprianus librum de lapsis his verbis concludit, di-
cens de vero penitente. Letam facit Ecclesiam, neciam
solum Dei veniam merebitur, sed coronam. Ac denique Au-
gustinus traet. 44. in Ioan. dicit, confessionem publi-
cani dicentis, Deus propitius esto mihi peccatori, meruisse
iustificationem, & in Psal. 50. de Niniuitis ait. De
incerto penitentiam egerunt, & certam misericordiam me-
ruerunt. Et eodem modo de illis loquitur Greg. libr. 3.
in 1. Reg. suo capit. 4. Solet autem ab auctoribus con-
trariae sententiae ad haec testimonia responderi, Pa-
tres late, & improprie verbum merendi vsurpassie.
Quod si ab eis intelligeretur de merito improprio, id
est, imperfecto comparatione facta ad meritum de
condigno, optima esset interpretatio. Si autem (vt vi-
detur) improprium meritum vocat, id est, metapho-
ricum, vt solet attribui etiam proprietatibus, seu per-
fectionibus non liberis, responsio est ab intentione
Patrum satis aliena, vt patet, tum ex multitudine te-
stimoniorum, tum ex varijs modis, quibus hoc me-
ritum explicant, tum denique ex subiecta materia, vt
in sequenti ratione declarabo.

10.
Accedunt
Patres.

Enasio re-
spondetur.

11.
Deinde ra-
tio.

diatam habitudinem ad talem effectum. Prior pro-
batur, quia in illo actu concurrunt omnes conditio-
nes requiritae ad meritum de condigno, vna tantum
excepta de dignitate personae merentis: ergo ille suf-
ficiunt, vt saltem meritum de congruo in tali actu in-
ueniatur. Antecedens per se clarum est ex dictis, quia
ille actus bonus est liber, & supernaturalis, & promissio-
nem habet, & sufficientem antecessorem quatenus
est ab auxilio, & non ab habitu. Consequentia vero p-
batur, quia ille defectus dignitatis personae non repu-
gnat cum merito de congruo absolute, vt supra ostē-
sum est: ergo nec respectu talis actus inducit repugnā-
tiam, quia nulla est specialis ratio. Imo quo actus ille in
se melior, & sanctior est, & ex perfectione morione Spi-
ritus sancti procedit, eo dignitas personae minus ob-
stabit merito de congruo eius. Et ne videamur in
quæst. de nomine versari (vt quidam volunt) explica-
tur magis res ipsa, nam meritum de congruo tunc est
proprium, quā fundatur in actu morali, & supernatu-
rali, & ex se habet perfectionem, & proportionem, qua
moueat Deum vt iustum gubernatorem, & prouiso-
rem in ordine supernaturali ad remunerandum ho-
minem sic operantem tali, vel tali modo: sed ita mo-
uet Deum contritio ad remittendum peccatum, &
dandam primam gratiam, vt Sancti citati declarant,
& res ipsa ostendit, tum quia homo in illo actu facit
quantum in se est cum diuina gratia in ordine ad il-
lum effectum, tum et quia ille actus est moralis dis-
positio ex se maxime proportionata ad formam gra-
tiae, tum denique quia est consentaneum diuinae or-
dinationi, & supernaturali prouidentiae, qua statuit,
vt homo viator possit à peccato resurgere, coope-
rando aliquo modo ex parte sua diuinae gratiae.

Et confirmatur, nam hoc satis est, vt gratia detur
intuitu talis operis non tantum per modum petitio-
nis, sed et per modum obsequij, & aliquis recōpen-
sationis: ergo hoc satis est, vt iustificatio non detur o-
mnino gratis respectu talis operis, quis quatenus illud
opus et fundatur in gratia, detur omnino gratis: ergo
hoc et satis est, vt in tali opere sit aliquale meritum fun-
datum in priori gratia. Sic Aug. & alij Patres contra
Semipel. arguuntur, quoniam ponentes gratiam dari pp
opera naturae, consequenter ponerent in illis operib.
aliquale meritum gratiae, ac subinde conuincerentur di-
cere, gratiam non gratis dari, quia negabant illa ope-
ra esse ex gratia. Simili ergo modo nos concludimus
quoad primam illationem, quod in tali opere sit ali-
quale meritum, & non sequitur secunda illatio, quia
hoc meritum fundatur in gratia. Altera vero pars de
immediatione inter hoc meritum, & primam gra-
tiam non indiget noua probatione, quia nullum me-
dium inter ea necessarium est, nec inueniri potest eo
ipso, quod talis actus est proxima dispositio ad talem
formam, ad quam etiam ex natura sua immediatam
habitudinem dicit.

Dico secundo. Nullus alius actus peccatoris mere-
tur de congruo, & immediate primam gratiam, vel
remissionem peccati. In hoc sensu cenfeo secundum
sententiam esse omnino veram. Sufficiensque pro-
batur ex declaratione terminorum superius data,
quia alij actus praeter contritionem, & dilectionem
Dei de se non postulant immediate primam gra-
tiam sanctificantem, nec de se mouent Deum ad illam
statim conferendam. Vnde Deus etiam vt operans vt
iustus gubernator in ordine supernaturali, non obli-
gatur etiam ex decencia, vel aequitate aliqua ad dā-
dam gratiam immediate intuitu talis actus. Neque in
hoc difficultas occurrit. Solum quaeri potest, an in in-
iustificatione, quae per sacramentum datur attrito,
mereatur penitens immediate primam gratiam tali
modo dandam. Videri enim potest id probabile, nam
licet attritio ex se non sit proxima dispositio ad gra-
tiam, supposita diuina ordinatione est proxima dis-
positio ad gratiam tali modo dandam: ergo eo ipso,
quod quis accedit ad sacramentum attritus, mere-

ratione pro-
batur asser-
tio.

12.
Confirmat
tio.

13.
Assertio 4.
in ordine.
Vnde pro-
batur.

Dubium,
& dubitan-
di ratio.

tur de congruo, & immediate gratiam sibi per sacramentum conferri. Vnde Concil. Trid. sess. 14. capit. 4. dixit, attritionem ad impetrandam gratiam in sacramento valere, idem enim esse videtur impetrare, quod de congruo mereri.

14.
Resolutio
probabilior

Sed licet hoc possit probabiliter defendi, nihilominus oppositum censeo verum. Quod in primis suadeo à simili, nam iustus, qui recipit, v.g. Eucharistiam cum magna Dei dilectione, licet alias de condigno mereatur, non tamen meretur de condigno propriam gratiam Sacramenti, nam ideo dicitur dari ex opere operato, quia datur ultra totum meritum operantis, ergo peccator recipiens absolutionem attritus non meretur de congruo gratiam sacramentalem, quæ illi datur, esto possit per illum actum aliquid aliud de congruo mereri. Probatur consequentia primo quasi à commutata proportionem: quia non est minus efficax dilectio hominis iusti ad meritum de condigno, quam attritio peccatoris ad meritum de congruo, & aliunde sicut prima gratia datur attrito ex speciali ordinatione diuina, ita tale augmentum gratiæ datur iusto per Eucharistiam ex simili diuina ordinatione: ergo si his non obstantibus datur hoc augmentum iusto sine merito eius de condigno, ita etiam datur peccatori prima gratia sacramentalis sine merito de congruo eius. Denique ratio in utroque membro est eadem, & cum proportionem applicanda, quia illa ordinatio diuina extrinseca est respectu talium actuum suscipientium sacramenta, & ideo non auger dignitatem, vel proportionem, quam habent ad meritum, quia hæc fundatur in natura, & morali conditione talium actuum. Et ideo neque in iusto extenditur meritum de condigno ad effectum extrinsecum Dei ordinatione promissum, nec meritum de congruo peccatoris ad proportionatum effectum valere, sed in utroque sacramento effectus datur ex solis meritis Christi, quatenus ex eadem diuina ordinatione aliqua conditio ex parte peccatoris requiritur.

15.
Assertio 5.
in ordine.
Probatur
ex Script.

Dico tertio. Mediate & remote potest peccator per bonos actus morales ex fide, & auxilio gratiæ factos, vt per eleemosynam, orationem, & per alias dispositiones remotas mereri de congruo primam gratiam, & remissionem peccatorum. Probatur primo auctoritate Scripturæ, & Patrum, nam communiter dicunt hæc opera valere apud Deum ad huiusmodi effectum, vt dicit Scriptura, per eleemosynam redimi peccata, & qui misericordiam facit, esse misericordiam consequutur, iuxta verbum Christi. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Propter quod dixit Aug. Epist. 39. q. 4. in principi. quod si superbus diues, qui induebatur purpura, & bysso, pauperis vlcerosi misertus fuisset, mereretur & ipse misericordiam. Et videri etiam potest Ambr. sermo. 35. qui est in feriam 4. post. Dom. 1. Quadrag. Præterea exemplum orationis habemus in publicano, qui Luc. 18. per humilem orationem descendit iustificatus, & Matt. 8. Rex ille in parabola dixit: *Serue nequam omne debitum dimisi tibi. quia rogasti me.* Ac denique Paulus ad Hebr. 13. efficaciam horum operum explicat per modum meriti, dicens: *Beneficentie, & communicationis nolite obliuisci. talibus enim hostijs promeretur Deus.* Vnde Patres hoc titulo maxime solent hæc opera commendare, vt refert Vega dicta quæst. 7. de iustificatione. & lib. 8. in Trident. cap. 6. & Bellarmin. in citatis locis. Præcipue vero Augustinus sæpe docet, per fidem mereri hominem iustificationem. Et quamuis negari non possit, quin sæpe loquatur de fide viuâ, & consequenter de merito de condigno, aut vitæ æternæ, aut secundæ iustificationis, vt videre licet lib. 10. de Trinitate cap. 1. & lib. 1. de Peccator. merit. & remiss. cap. 6. & alijs similibus, nihilominus negari non potest, quin sæpe loquatur de fide, quæ initiat iustificationem, & meretur progressum in illa, vel per se ipsam,

Item ex Patribus.

vel per alia opera, quæ excitat, vt paulatim vsque ad remissionem peccatorum perueniat. Sic dixit epistola 105. *Neque ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides illam impetrat, neque enim nullum est meritum fidei, & epist. 106. Si quis dixerit, quod gratia bene operantis fides mereatur, negare non possumus. Et cum fidei obiceret: Si ex fide quomodo gratia? nam quod gratia fides meretur, cur non potius reddatur, quæ donatur? R. respondet. Cum fides meretur iustificationem, non gratia aliquid meriti præcedit humani sed ipsa gratia meretur augeri, vt aucta mereatur, & perfici. Vbi non loquitur de gratia habituali, sed de auxiliante ad credendum, vt ex contextu constat, & consequenter non loquitur de augmento intensiuo habitus gratiæ, sed de extensiuo per varios actus, & auxilia gratiæ. Quando enim post vnum auxilium ad vnum actum gratiæ magis remotum à formali iustificatione Deus dat aliud auxilium ad actum minus remotum, & postea dat tertium ad alium propinquorem, & sic de cæteris, rectissime dicitur gratia iustificationis augeri, vt tandem mereatur, & perfici. Et hic est sine dubio sensus Augustini, vt facile legenti, & consideranti patebit. Et de eodem merito remissionis peccatorum loquitur in Præfat. ad Psalm. 34. & tractat. 44. in Ioan. vbi euidenter supponit, publicanum fuisse peccatorem, quando orauit: *Deus propitius esto.* &c. Nam illius exemplo redarguit dictum cæci, *Deus peccatores non exaudit.* Non est ergo dubium, quin Augustinus his locis loquatur de merito hominis fidelis nondum iustificati. Et ipsa vox meriti remissionis peccatorum id conuincit, nam homo iam iustificatus non potest remissionem peccatorum mereri. Nisi quis velit de peccatis venialibus, ac de reatu peccata temporalis id interpretari, quod euidenter est alienum à mente Augustini: nihil enim illud contra Semipelagianos ei deferuebat, & aperte loquitur de iustificatione, quæ ad Dei amicitiam, & remissionem peccati, quæ illi obstat, terminatur.*

Nihilominus tamen auctores contrariæ sententiæ præferunt Soto, variis modis conati sunt hæc Augustini testimonia eludere, quos refert, & copiose refellit Vazq. dicta disputatione 218. capite 3. Vnus modus est, quod Augustinus loquatur de fide formata, quem refutamus satis refutauimus. Alter est, quod loquatur impropriè, & vulgari modo de merito, quem etiam in præcedenti assertionem circa Patrum testimonia impugnauimus, estque eadem, vel maior ratio de testimonijs Augustini, tum quia in locis ibi allegatis loquitur sicut alij Patres de penitentia, quæ proxime ad gratiam disponit: tum etiam quia in locis proxime citatis præcipue agit contra Pelagianos, & reliquos eorum, qui aliquem modum veri meriti repugnantem gratitudini veræ gratiæ, actibus fidei, & similibus mere humanis, & à solo libero arbitrio profectis tribuebant. Hoc autem meritum non negat fidei Augustinus, sed quia fides vera non est opus humanum, sed gratiæ, negat tale meritum repugnare gratiæ, vt videre licet lib. de Prædestin. Sanctorum, cap. 1. & in alijs locis allegatis: loquitur ergo de proprio merito, quamuis imperfecto.

Vnde etiam facile refellitur alter modus, quem Soto excogitauit, & multum commendat, scilicet Augustinum tribuere fidei meritum, quia ipsa ostendit viam merendi, quod suadere conatur tum ex eodem August. de Spirit. & liter. cap. 13. tum etiam quia Augustinus non agnouit verum, ac formale meritum, nisi de condigno. Veruntamen sciendum est, Augustinum ita quidem loqui de fide, vt non illi soli formaliter meritum tribuat, sed etiam alijs actibus, qui ab illa procedunt, & è conuerso ita his actibus suum meritum tribuere, vt propriū etiam meritum fidei doceat. Est ergo illius sententia, fidem esse actum formaliter meritorium, & esse radicem meriti aliorum actuum. Primum horum aperte constat ex locis citatis, & præsertim dicto lib. de Prædestin. Sanctorum cap. 2. in illis verbis: *Quis autem dicat, eum, qui iam*

17.
Alter etiam
modus repugnat.

iam cepit credere, ab illo, in quem credidit, nihil mereri? Vbi loquitur aperte de formali merito, tum quia alias posset quis habere radicem merendi, & nondum mereri, quia radix illa non ex necessitate nature profert alios fructus, sed dependenter à voluntate libera, tum etiam quia Semipelagiani hoc modo tribuebant meritum fidei, cui alia bona retribuerentur, Et hoc ipsum contra eos assumit Augustinus, vt eos redarguat, & inde concludat, etiam initium fidei esse donum Dei, vt patet, cum subiungit: Vnde fit, vt iam merenti cetera dicantur addi retributione diuina, ac per hoc gratiam Dei secundum merita nostra dari, vtiq; si initium fidei non est donum Dei, & ideo subiungit: Quisquis igitur vult hanc damnamabilem ex omni parte vitare sententiam, veraciter intelligat dictum, quod Apostolus ait: Vobis donatum est pro Christo, vt non solum in eum credatis, &c. ad Philip. 2. Altera vero pars, quod fides etiam sit radix totius meriti, ab ipso Soto conceditur, & eiusdem rationis est cum illa, quam Concilium Tridentinum sessione sexta, capite 8. tradit, fidem esse radicem iustificationis. Hoc autem modo non dicitur fides mereri solum, quia ostendit viam merendi, neque hoc vniquam dixit Augustinus, qui vbiq; hoc potius tribuit legi, quam fidei, vt ex eodem capite 13. de Spirit. & liter. constat. Fidem autem dicit in hoc excedere legem, quia credendo impetrat, quod lex minando imperat: impetrare autem non est tantum ostendere, sed est spiritum bene operandi aliquo modo mereri, & obtinere, vt in alijs locis citatis idem Augustinus dixit. Igitur ex illo loco potius improbat responsio Soti, quam probetur: quin potius verus sensus Augustini in alijs locis ex illo confirmatur. Quod vero Augustinus, non solum meritum de condigno, sed etiam minus perfectum agnouerit, satis est à nobis in superioribus ostensum, & ex locis proxime tractatis est manifestum.

18. Alij nihilominus respondent, Augustinum virtute retractasse istam sententiam, quod fides impetrat seu meretur iustificationem. 1. Retract. cap. 23. vbi retractat, quod prius dixerat, initium fidei esse ex nobis, & putant esse sententiam D. Thomae dicta quæst. 114. ar. 5. ad primum. Sed hoc neque in re ipsa, neque in verbis Augustini habet fundamentum, neque etiam mentem D. Thomae esse existimo. Ad quod explicandum breuiter scire oportet, propositionem illam: Fides meretur iustificationem, duos posse habere sensus, vnus est, quod fides mereatur totam iustificationem gratiæ ab initio eius vsque ad terminum, & hic sensus est falsus, & hæreticus. Et in hoc sensu verum est, illam propositionem esse contentam in alia, *initium fidei est ex nobis*, quia cum in fide inueniatur aliquod meritum, ex nobis esse meritum totius iustificationis, & initium, ac fundamentum eius, vt argumentatur Augustinus in dicto capite 2. de Prædestinat. Sancto- rum. Nunquam autem Augustinus propositionem illam in illo sensu formaliter docuit, tamen in virtute id asseruit, cum dixit, initium fidei esse ex nobis, & ideo in eodem tantum sensu vere dici potest illa prior propositio retractata virtute ab Augustino, cum posteriore retractauit. Et profecto in hoc sensu loquutus est D. Thomas. Nam vt supra dixi, in corpore illius articuli præcipue agit de prima gratia auxiliante, ac proinde de merito totius iustificationis ab eius initio loquitur, cum absolute negat primam iustificationem cadere sub meritum. In eodem ergo sensu dicit in solut. ad 1. alteram propositionem: *fides iustificationem meretur*, virtute contineri, & damnari in alia, *initium fidei est ex nobis*. Nam si initium fidei (ait Diuus Thomas) est in nobis à Deo, iam etiam ipse actus fidei consequitur primam gratiam, & ita non potest esse meritorium primæ gratiæ. Vbi euidenter est, loqui Diuum Thomam de prima gratia auxiliante, nam hæc est, quæ necessario præcedit fidem, & inchoat illam, vt per se est manifestum. Alius sensus illius propositionis, *fides meretur iustificationem*, est, vt intelligatur de fide supernaturali, seu

Pars 3.

infusa per gratiam auxiliantem, & de iustificatione non tota, vt includit intrinsece initium suum, sed quantum ab illo progreditur, & in eo fundatur, seu crescit. Et hoc sensu est proportio vera, & Catholica, ac tradita ab Augustino in citatis locis. Et nullo modo est retractata in altera: *initium fidei est ex nobis*, quia nullam connexionem cum illa habet, imo eius contradictoriam supponit, vel etiam infert, supposito alio principio Catholico, quod nulla vera gratia potest esse ex merito non fundato in priori gratia, vt ex eodem Augustino ostendimus.

Vt ratione ostendamus eandem assertionem, distinguere possunt in ea tres partes, vna est, quod isti actus dispositionum remotarum ad remissionem peccati sunt capaces alicuius meriti de congruo: secunda est, quod aliquo modo possint esse meritorij remissionis peccatorum: tertia est, quod non immediate, sed mediate tantum illam mereantur. Prima pars eadem ratione probanda est, qua in superioribus vti sumus, quia isti actus boni sunt, & ex gratia libere procedunt: ergo ex parte sua apti sunt ad supernaturale meritum: ergo licet in peccatore propter statum personæ, perfectum gradum meriti de condigno attingere non possint, saltem aliquid de congruo mereri poterunt, cum status peccatoris huic merito non repugnet, vt etiam ostensum est. Ratio secundæ partis est, quia hi actus veluti ex natura sua eo ipso, quod ad Deum ordinantur, aliquo modo disponunt ad vniõnem cum illo, & ita paulatim præparant ad remissionem peccatorum obtinendam: ergo possunt illam aliquo modo de congruo mereri. Præsertim quando ab ipso peccatore ad hunc finem referuntur: nam cum secundum illum statum faciat, quod in se est, per auxilium gratiæ, quod tunc habet, vt iustificetur, & opera, quæ facit, sint aliquo modo proportionata huic fini, congruitas sufficiens est in huiusmodi operibus respectu talis termini. Denique peccator potest à Deo petere remissionem peccatorum cum circumstantiis ad recte orandum requisitis etiam eo tempore, quo nondum sufficienter se ad gratiam disponit: ergo poterit idem mereri de congruo, nam licet impetratio, & meritum inter se distinguantur, pro statu viæ coniuncta sunt, si homo, quod in se est, faciat, tam ad merendum eo modo, quo potest, quam ad orandum, sicut debet. Potest autem peccator, quando remissionem peccatorum petit, aliquid aliud ex parte sua adiungere cum diuino auxilio, vt exaudiatur, vt v. g. cum magna humilitate, & propriæ indignitatis recognitione veniam petere, nam hæc humilitas plurimum valet apud Deum. Item si cum petitione adiungat remissionem propriarum iniuriarum, iuxta verbum Christi: *Dimittite, & dimittentur* Luc. 6. & Matth. 6. & sic de alijs: ergo in hoc modo orandi, & impetrandi aliquod meritum de congruo interuenit.

Ratio tertiæ partis est, quia supra diximus, nullum actum, qui sit tantum remota dispositio ad gratiam, posse esse immediate meritorium ipsius gratiæ: ergo nec remissionis peccatorum, quæ per gratiam fit: ergo ad summum potest peccator mediatè, ac remote mereri iustificationem per istos actus. Dices, non posse hoc consistere cum ratione proxime facta in præcedenti puncto. Quia peccator immediate petit remissionem peccatorum, & ad illam ordinat cetera, quæ facit, vt exaudiatur, & ita illam impetrat immediate: ergo etiam immediate illam meretur. Respondetur, potius hinc confirmari rationem factam, nam peccator, qui nondum contritus petit remissionem peccatorum, si debere oret, non petit, vt secundum præsentem statum sibi statim remittantur peccata, & gratia infundatur: temeraria enim esset talis oratio. Petit ergo auxilium, quo se ad iustificationem obtinendam disponat. Vnde quamuis in intentionis ordine, vt sic dicam, prius intendat iustitiam, & remissionem peccati impetrare: nihilominus in executione necesse est, vt incipiat, impetrando auxilium, &

Bbb 3 execu-

19. Ratione quoque probatur assertio tertia. Pars ostenditur.

Ostenditur secunda.

20. Tertia ostenditur.

Instantia.

Solutio.

executionem, & mediante illa peruenit ad iustificationem. Idem ergo dicimus in merito de congruo quod executionem respicit, & ideo quando est fundatum in actu imperfecto, & dispositione remota, non potest habere immediatam habitudinem ad iustificationem ipsam, sed ad illud medium illi propinquius, ut magis in puncto sequenti explicabitur.

21. Ad huius ergo meriti, & præmij maiorem declarationem dico quarto. Peccator per vnum actum ex gratia factum, vel minus perfectum, vel magis remotum ab vltima dispositione ad gratiam meretur de congruo, ac immediate nouum aliquod auxilium, quo alium actum perfectiorem, vel propinquiorem iustificationi efficiat: vel etiam meretur de congruo auxilium ad vitandum aliquod peccatum, vel peccandi occasionem, quæ perfectam conuersionem maxime impedire solet. Hæc assertio, sicut explicat præcedentem, ita ex illa à posteriori sequitur, quia iuxta doctrinam Scripturæ, & Sanctorum peccator per bona opera ex gratia facta potest aliquo modo mereri iustificationem, & remissionem peccati: sed hoc non potest fieri immediate, ut ostensum est: ergo fit merendo per actum procedentem à priori auxilio aliud auxilium ad vltiorem actum, & sic procedendo, donec ad terminum iustificationis perueniatur, ut verbi gratia, iuxta progressum iustificationis traditum in Concilio Tridentino sessione 6. capite 6. prima voluntas credendi ex nullo merito esse potest, tamen illa posita, per fidem meretur homo, ut vel ad timorem gehennæ, vel ad desiderium suæ salutis excitetur, quod si cooperando huic auxilio, supernaturaliter incipiat salutem desiderare, vel perditionem timere, per hoc meretur vltius promoueri ad fiduciam in Deum, vel ad aliquam eius dilectionem, vel ad peccati detestationem saltem imperfectam, ut ita paulatim ab imperfecto ad perfectum progrediatur, quod homini est connaturale, cui gratia se accommodat, modo suauiter illum ducendo. Et hanc doctrinam complexus est Augustinus paucis verbis supra citatis: Gratia meretur augeri, ut aucta mereatur & perfici.

Enucleatur

Est pro illa ci, ut supra illa explicuimus, Nec ab ea est alienus D. Thomas dicta q. 114. artic. 1. nam in corpore generaliter dicit, quamuis prima gratia non cadat sub meritum, per primam posse mereri secundam, quia si aliquis, ait, virtute gratiæ præcedentis mereatur aliud donum gratuitum, iam non meretur primam gratiam. Hanc autem doctrinam tradi ab ipso non solum de prima gratia sanctificante, sed etiam de auxiliante cum partitione accommodata, explicat in solut. ad 1. dicens: Si supponamus sicut fidei veritas habet, quod initium fidei sit in nobis à Deo iam motus fidei consequitur primam gratiam. Quod est verum de prima gratia auxiliante, non de sanctificante, ut per se patet, & ex solut. ad 3. ubi ait, quod omne bonum opus hominis procedit à prima gratia, sicut à principio, quod de auxiliante tantum gratia verum est, ut in qu. 109. ipse docuerat. In eodem ergo sensu infert, quod actus fidei non potest esse meritorium primæ gratiæ, indicans proculdubio, posse esse meritorium secundæ auxiliij. Ratio denique clara est ex dictis, quia in vno actu istorum est sufficiens proportio cum auxilio ad vltiorem actum, & inter eos est immediata habitudo, sub actu includendo auxilium necessarium ad illum: ergo hoc sufficit, ut auxiliij ad vnum actum detur in iure alterius præcedentis: ergo ex merito de congruo, quia aliæ conditiones necessariæ hic non desunt, & solum habituale peccatum non impedit, ut sæpe dictum est. Et hic habet locum argumentum ab impetratione, nam sine dubio potest vnum auxilium immediate impetrari per orationem priori auxilio factam: ergo mereri de congruo, quia hæc duo in via coniuncta sunt modo iam dicto.

22. Sed quæres, an possit hoc modo peccator mereri de congruo per dispositionem remotiorem auxilium ad propinquiorem non tantum sufficiens, sed etiam congruum, & efficacem. Nam discursus factus etiam de

efficaci videtur probare, tum quia etiam cum illo habet proportionem præcedens actus, tum etiam quia alias nunquam merebitur aliquis hoc modo iustificationem, quia non potest perueniri ad illam, nisi per auxilia efficacem, tum præterea quia argumentum ab impetratione sumptum hic maxime locum habere videtur, quia potest homo auxilium efficacem petere, & impetrare: cur ergo non etiam de congruo mereretur denique, quia alias parum vile esset hoc meritum, quia auxilium tantum sufficiens ex generali prouidentia gratiæ quasi necessaria consecutione datur ut in libro quarto visum est. Atque hæc quidem partem hanc probabilem facere videntur.

Nihilominus tamen probabilius est, non posse peccatorem de congruo mereri auxilium efficacem, seu vocationem congruam ad perfectam conuersionem suam siue mediate, siue immediate. Quod probatur primo, quia iustus non potest de condigno mereri auxilium efficacem ad vitandum lapsum, ut supra visum est: ergo nec peccator potest mereri de congruo auxilium efficacem, siue ad vitandum nouum lapsum, siue ad resurgendum à lapsu: non est enim hoc beneficium minus, quam illud, sed fortasse excellentius, maiusque auxilium postulat. Consequentia probatur, quia (ut supra dicebam) seruata proportione non minus, imo fortasse magis potest esse iustus ad merendum de condigno, quam peccator ad merendum de congruo. Accedit, quod nuli negant, posse iustum mereri de congruo auxilium efficacem non sine probabilitate. Unde res hæc etiam in iusto dubia est: ergo peccatori videtur omnino negandum hoc meritum de congruo respectu auxiliij efficacis. Ratio vero reddi potest, quia auxilium efficacem, si quoad executionem, seu actuale efficaciam consideretur, pendet ex hominis libertate, & ideo ex hac parte non potest cadere sub meritum eius. Si vero consideretur, quoad præparationem ex parte Dei, pendet ex libera Dei electione, & prædestinatione, ac præsentia, & ideo est extra omne meritum hominis præsertim peccatoris. Quia actus eius de se non habet proportionem cum tali genere beneficii, neque etiam ex conditione personæ illam recipit, cum tanto beneficio indigna sit.

Neque coniecturæ in contrarium obstant. Nam in primis actus, in quo potest tale meritum fundari, non habet eandem proportionem respectu auxiliij sufficientis, & efficacis, quia efficiens est quasi conaturaliter debium iuxta ordinem gratiæ, non autem efficacem, & ideo cessat illa ratio, sicut etiam cessat in merito de condigno iustorum. Deinde cum peccator dicitur mereri de congruo iustificationem, semper habet subintellectam conditionem, si ipse non desit gratiæ Dei, resistendo diuinis auxiliis, quæ illi ex tali merito dantur, ut ad iustificationem puniat. Et ideo si resistit, non sequitur, non meruisse de congruo iustificationem saltem remotam, sed sequitur, culpa sua non obtruisse, quod meruerat. Præterea satis dubia res est, an possit homo etiam iustus infallibiliter impetrare auxilium efficacem, de quo aliquid dicimus in capite sequenti, multo vero magis videtur hoc negandum in peccatore: quia cum in potestate eius sit bene operari cum auxilio sufficiente, quod impetrare potest, non est, cur ex vi orationis auxilium efficacem infallibiliter ei concedatur, quia nunquam potest talis oratio habere omnes condiciones ad infallibilem impetrationem necessarias. Quicquid vero sit de infallibilitate, certum videtur posse interdum peccatorem auxilium efficacem impetrare: nam testimonia Scripturæ, & Patrum hoc multum significant. Inde tamen non licet colligere meritum de congruo eiusdem auxiliij, quia licet auxilium impetratio in via coniuncta sit cum aliquo merito, tamen non tamè semper sunt eiusdem rei, seu quasi obiecti, trare non sed potest homo mereri vnum, & impetrare aliud: meriti.

vt supra dixi. Et præsertim quia impetratio magis nititur in pura misericordia, & liberalitate Dei, quam meritum, sepius fit, vt plus impetret homo orando, quam mereatur etiam de congruo. Hoc ergo modo fieri potest, vt impetret auxilium efficax, quantum solum mereatur sufficiens. Et ideo non sequitur, quod ultimo loco inferebatur, parum vtile esse hoc meritum. Tum quia etiam est vtile mereri, quod alio titulo dandum esset, tum etiam quia licet auxilium sufficiens omnibus offeratur, non tamen omnibus actu datur sine aliqua preparatione per prius auxilium, tum præterea quia inter auxilia sufficientia est latitudo, & ita per meritum poterit copiosius obtineri, & fortasse interdum dabit Deus etiam efficax, addendo congruitatem auxilii ultra omne meritum, præsertim oratione, & impetratione interueniente, vt declaravi.

25.
Corollaria
quædam
colliguntur.

Atque ex his infero primo, hominem ante formalem iustificationem posse mereri de congruo quæcunque auxilia gratiæ actualis sufficientia, non tamen efficacia, ex sufficientibus primum excipiendo, quod cum sit principium omnis meriti, sub nullum cadere potest, vt recte dixit D. Thomas dicto artic. 5. & in libr. 3. late dictum est. Et hinc etiam fit, vt non possit de congruo mereri prædestinationem suam, tum quia in illa includitur primum auxilium, tum etiam, quia tale auxilium, & multa sequentia in prædestinatione oportet, vt efficacia sint, tum denique quia prædestinationis est quasi extrinseca, & prior radix talium auxiliorum, & ideo fundari non potest in merito, quod ab illis procedit. De habitualibus autem donis gratiæ iam diximus, non posse cadere sub hoc meritum peccatoris, nisi mediante alio auxilio actuali. Quod est clarum ex dictis in omnibus habitibus, qui gratiam sanctificantem consequuntur. De habitu autem fidei, & spei probabile est, peccatorem per primum actum fidei mereri de congruo, & immediate in infusionem sui habitus, & cum proportionem de spe. Hoc tamen non est contra dicta, si formaliter intelligantur, quia actus fidei est vltima, seu proxima dispositio ad habitum fidei, & actus spei ad suum habitum, vt in libro octavo declaratum est.

26.
Postremum
corollarium
de merito
bonorum
temporalium.

Vltimo intelligitur ex dictis quomodo possit peccator mereri de congruo temporalia bona. Nam, vt notauit D. Thomas dicta q. 114. artic. 10. hæc bona dupliciter spectari possunt. Primo absolute, & secundum se, prout huic temporalis vitæ deseruiunt. Secundo prout conferre possunt, vel etiam esse necessaria ad vitandum peccatum, vel salutem consequendam. Hoc posteriori modo, vt supra notavi, computari possunt hæc subsidia temporalia inter auxilia gratiæ, vnde eo modo, quo peccator potest mereri de congruo cætera gratiæ auxilia, poterit à fortiori mereri hæc temporalia subsidia, quæ licet in se temporalia sint, sub eo respectu sunt spiritualia, & quodammodo supernaturalia. Ac proinde ad tale meritum necessarium erit, vt actus ex fide, & auxilio gratiæ procedat, & ita facile erit inuenire in huiusmodi actu cæteras condiciones necessarias ad merendum de congruo talia dona sub tali respectu. At vero si talia bona priori modo, seu secundum se spectentur, facilius videri potest, posse peccatorem illa mereri de congruo, quia inferiora sunt, imò non sunt bona simpliciter, sed secundum quid. Et consequenter ad tale meritum non erit necessarius actus supernaturalis, sed naturalis sufficiens, dummodo bonus sit, quia talis actus habet sufficientem proportionem cum talibus donis sic spectatis. Et ita hanc partem sequitur aliqui moderni. 1. 2. q. 114. art. 10. ita intelligentes D. Thomam ibi, præsertim Medinam ibi & Valent. disput. 8. q. 6. punct. 4. §. 6. in fine.

27.
Alij nolunt. si proprio merito de congruo. Et in hunc sensum exponi potest Diuus Thomas. Nam cum ibi distinguat meritum simpliciter, & secundum quid, sub merito

simpliciter videtur comprehendere omne meritum proprium, siue sit de congruo, siue de condigno, per meritum autem secundum quid intelligere videtur meritum metaphoricum, seu similitudinariu, quod attenditur magis secundum motionem, & intentionem Dei, quam secundum proprium meritum peccatoris. Quem sensum plane indicat D. Thomas in solut. ad 2. concedens hoc meritum etiam operibus ex genere bonis peccaminose factis, quod supra diximus, non posse intelligi de vero merito etiam de congruo, sed solum per quandam externam speciem, seu similitudinem, quia Deus ob alias rationes suæ providentiæ remunerare vult in illis operibus laborem aliquem, vel utilitatem ad finem à se intentum, ac si bene facta essent. Quod autem bona opera moralia peccatoris, etiam si ex omnibus circumstantiis honeste fiant, non habeant rationem meriti apud Deum magis propriam, solum probant dicti Auctores, quia peccator est inimicus, & inimicus nullius remunerationis est capax. Quæ ratio sæpe reiecta est, quia licet inimicus Dei non sit apud ipsum capax remunerationis ex debito iustitiæ, est capax remunerationis ex aliqua operis congruitate.

Vnde dicendum censco, si opus morale sit omni ex parte bonum, de se esse meritum de congruo apud Deum iuxta doctrinam D. Thomæ. 1. 2. q. 21. artic. 4. Tale vero meritum sicut non extenditur ultra naturale, seu temporale præmium ita de se non indiget gratia, vel auxiliante, vel sanctificante personam. Vnde sine dubio esse posset in homine in puris naturalibus. Non est ergo inconueniens, aliquid tale meritum in peccatore admittere. Pareor tamen minus perfectum in illo esse, quam esset in homine in puris naturalibus, quia in illo statu dispositio personæ non impediret, nec minueret congruentiam operis, quia tunc carentia gratiæ non esset mala, quia non esset priuatio, sed negatio altioris perfectionis, & aliunde bonitas naturæ esset proportionata tali merito. Nunc autem status peccatoris multum diminuit congruentiam huius meriti propter personæ indignitatem. Et ideo fortasse tale meritum in puris naturalibus ad plura naturalia præmia extendere, quam nunc in homine peccatore, nimirum ad beatitudinem naturalem, vel ad recipiendum aliquod auxilium naturalis ordinis ad bene moraliter operandum, quæ in suo ordine sunt simpliciter bona, & nunc non dantur regulariter, nisi vt coniuncta donis gratiæ, & ideo verisimilius est, peccatorem nunc illa non mereri de congruo per huiusmodi opera, nihilominus tamen respectu bonorum temporalium semper est in talibus operibus aliqua proportio, ratione cuius peccator dici possit illa de congruo mereri proprie, licet valde imperfecte, & secundum quid. D. Thomas autem, vt notauit Caietanus in illo articulo, meritum simpliciter vocauit meritum supernaturale fundatum in gratia siue auxiliante, (vt ego interpretor) siue sanctificante, & ita sub merito secundum quid comprehendit omne meritum fundatum in omni opere naturali, quod in suo ordine est verum meritum, quando opus est simpliciter bonum, de quo loqui videtur D. Thomas in corpore articuli, licet in solut. ad 2. ad meritum omnino improprium, & similitudinariu illud extendat.

28.
Authoris
indiciu.

CAPVT XXXVIII.

Quid possit iustus sibi, vel alijs de congruo mereri?

Suppono, quæstionem hanc non posse habere locum in prima gratia, quia cum de homine iusto moueatur, supponit in illo gratiæ, saltem primam, non solū auxiliantem, sed etiam sanctificantem, quæ est fundamentum meriti de condigno, ideoque consequenter.

1. Suppositio.